

## Band II., Nr. 474, Seite 281-284

*Papst Cölestin III. nimmt die Kirche des heiligen Petrus in Marchtal in seinen Schutz, bestätigt deren rechtmäßigen Güterbesitz, insbesondere an genannten Orten, und erteilt derselben verschiedene ausgedrückte Begünstigungen.*

Rom, 1192. November 22.

Celestinus episcopus, servus servorum dei. Dilectis filiis Manegoldo, preposito ecclesie sancti Petri in Marhtel eiusque fratribus, tam presentibus quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse presidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incursus, aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacre religionis infringat. Eapropter, dilecti in domino filii, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, et prefatam ecclesiam sancti Petri, in qua divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et presentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo canonicus, qui secundum deum et beati Augustini regulam atque institutionem Premonstratensium fratrum in eodem loco institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascumque possessiones, quecumque bona eadem ecclesia in presentiarum iuste et canonicè possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis prestante domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis: locum ipsum in quo prefata ecclesia sita est cum omnibus pertinentiis suis, ecclesiam sancte Marie que sita est in ipsa villa cum plebe et mancipiis et iure patronatus quod nobilis vir Conradus dux Suevie super una prebendarum ipsius ecclesie libere vobis concessit, et predia, curias, domos, pomeria, ortos, et silvam que vocatur dos ecclesie, et piscationem quam habetis in fluvio Danubii, iuxta eandem villam decurrentis. Duas partes decimarum quas habetis in Bilringen<sup>a</sup> ecclesia, cum predio et curia. Curias quas habetis in Husen, in Wachingen, in Wiler, in Smalstetin<sup>1</sup>, molendinum in Zuifiltun. Predium cum curia quod habetis in Ambra cum capella ibidem sita, cum vineis, decimis et aliis pertinentiis suis. Sane laborum vestrorum quos propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de

<sup>a</sup>Die Silbe *en* in *Bilringen* ist durch ein Loch in der Urkunde ausgefallen.

<sup>1</sup>Stetten, Ehingen (Donau), UL.

nutrimentis animalium vestrorum nullus a vobis decimas exigere vel extorquere presumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos, liberos et absolutos e seculo fugientes, ad conversionem recipere et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem fas sit absque prepositi sui licentia de eodem loco discedere; discedentem vero absque commun[i]um litterarum cautione nullus audeat retinere. Ad hec etiam inhihemus ne cui episcopo, vel alii, pro vestris decimis cogamini plus persolvere quam predecessores eorum a quinquaginta annis infra usque ad hec tempora rationabiliter recipere consuerunt. Cum autem generale interdictum terre fuerit, liceat vobis, clausis ianuis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, supressa voce, divina officia celebrare. Crisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi, a diocesano suscipietis episcopo, si quidem catholicus fuerit, et gratiam ac communionem apostolice sedis habuerit, et ea gratis et absque pravitate et exactione aliqua vobis voluerit exhibere. Alioquin liceat vobis quemcumque malueritis adire antistitem, gratiam et communionem apostolice sedis habentem, qui nostra fultus autoritate vobis quod postulatur impendat. Prohibemus insuper ut infra fines parochie vestre nullus sine assensu diocesani episcopi et vestro capellam seu oratorium de novo construere audeat, salvis privilegiis Romanorum pontificum. Ad hec vobis novas et indebitas exactiones ab archiepiscopis, episcopis, archidiaconis seu decanis aliisque ecclesiasticis secularibusve personis omnino fieri prohibemus. Sepulturam quoque loci ipsius liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extreme voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti fuerint, nullus obsistat, salva tamen iustitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decimas preterea et possessiones ad ius ecclesiarum vestrarum spectantes, que a laicis detinentur, redimendi et legitime liberandi de manibus eorum et ad ecclesias ad quas pertinent revocandi, libera sit vobis de autoritate nostra facultas. Obeunte vero te, nunc eiusdem loci preposito, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia preponatur, nisi quem fratres communi assensu, vel fratrum pars consilii sanioris, secundum dei timorem et beati Augustini regulam providerint eligendum. Paci quoque et tranquillitati vestre paterna imposterum sollicitudine providere volentes, sub interminatione anathematis autoritate apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus rapinam facere seu furtum committere, ignem apponere, hominem temere capere vel interficere, seu aliquam violentiam audeat exercere. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prefatam ecclesiam temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro

### III

quorum gubernatione ac sustentatione pia liberalitate concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolice auctoritate et diocesani episcopi canonica iustitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona, hanc nostre constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine dei et domini redemptoris nostri Ihesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine divine ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax domini nostri Ihesu Christi, quatinus et hic fructum bone actionis percipiant, et apud districtum iudicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

(*Rundzeichen.*)<sup>b</sup> Ego Celestinus, catholice ecclesie episcopus, subscripsi. (*Monogramm für Bene valet.*)

+ Ego Albinus, Albanensis episcopus, subscripsi. + Ego Iohannes, Prenestinus episcopus, subscripsi + Ego Petrus, Portuensis et sancte Rufine episcopus, subscripsi.

+ Ego Pandulfus, basilice XII apostolorum presbyter cardinalis, subscripsi. + Ego Melior, sanctorum Iohannis et Pauli presbyter cardinalis tituli Pamachii, subscripsi. + Ego Iohannes Felix, tituli sancte Susanne presbyter cardinalis, subscripsi. + Ego Romanus, tituli sancte Anastasie presbyter cardinalis, subscripsi. + Ego Hvgo, presbyter cardinalis sancti Martini, tituli Equitii, subscripsi. + Ego Iohannes, tituli sancti Stephani in Celio monte presbyter cardinalis, subscripsi.

+ Ego Gratianus, sanctorum Cosme et Damiani diaconus cardinalis, subscripsi. + Ego Soffredus, sancte Marie in via lata diaconus cardinalis, subscripsi. + Ego Gregorius, sancte Marie in Aquiro diaconus cardinalis, subscripsi. + Ego Gregorius, sancti Georgii ad velum aureum diaconus cardinalis, subscripsi. + Ego Lotarius, sanctorum Sergii et Bachi diaconus cardinalis, subscripsi.

Datum Rome apud sanctum Petrum, per manum Egidii, sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconi cardinalis, X. kalendas Decembris, indictione undecima, anno incarnationis dominice MCXCII., pontificatus vero domni Celestini pape III. anno secundo.

---

<sup>b</sup>Das Rundzeichen in gewöhnlicher Form, mit dem Denkspruch: *per fice gressus meos in semitis tuis.*

## IV

Der Textabdruck folgt dem Original.

An rot-gelber Seidenschnur hängt die Bleibulle mit den bekannten Köpfen usw. auf der einen, und CELESTINVS. PP. III. auf der anderen Seite.

## Überlieferung und Publikationen

### Lagerort:

HStA Stuttgart

### Signatur/Titel des Originals:

B 475 U 1

### Überlieferung und Textkritik:

Abschrift im Fürst Thurn- und Zentralarchiv in Regensburg: Klosterurkunden Marchtal Nr. 6. Ferner Abschrift [18. Jahrhundert] im StA Sigmaringen: Dep. 30/12 T 1 Nr. 1237.

### Editionen:

JOHANN CHRISTIAN LÜNIG: Das teutsche Reichs-Archiv, in welchem zu finden, 1. Desselben Grundgesetze und Ordnungen [...], II. Die merckwürdigsten Recesse, Concordata, Vergleiche, Verträge, Erb-Verbrüder- und Vereinigungen, Pacta und Bündnisse [...], III. J, Bd. 18, S. 345. Hugo: Ordinis Praemonstratensis annales, Bd. 1,2, Probat., S. 83.

### Regesten:

Die Urkunden des Reichsstifts Obermarchtal. Regesten 1171-1797, bearb. von Hans-Martin Maurer und Alois Seiler, Redaktion Sabine Meyer, hrsg. von Wolfgang Schürle und Volker Trugenberger, Konstanz 2005 (Documenta Suevica, 5), S. 53, Nr. 9. PHILIPP JAFFÉ (HRSG.): Regesta pontificum Romanorum ab condita ecclesia ad annum post Christum natum MCXCVIII, 2. verb. und verm. Aufl. bearb. von Samuel Löwenfeld, Ferdinand Kaltenbrunner und Paul Ewald, 2 Bde., Leipzig 1885-88 16929. Germania pontificia, Bd. 2,1, S. 217, Nr. 1.

## Weitere Angaben

### Sprache:

Lateinisch

### Ausstellungsort:

Rom

### Ortsindex:

Achalm : Reutlingen RT

Achalm Wohnplatz (15987)

Alba, Piemont, Italien  
Hausen am Bussen Wohnplatz (16825)  
Hausen am Bussen, UL  
Kirchbierlingen Wohnplatz (16782)  
Kirchbierlingen, Ehingen (Donau), UL  
Obermarchtal Wohnplatz (16905)  
Obermarchtal, UL  
Palestrina, Latium, Italien  
Porto, Latium, Italien  
Rom, Latium, Italien  
Stetten Wohnplatz (16794)  
Stetten, Ehingen (Donau), UL  
Unterwachingen Wohnplatz (16969)  
Unterwachingen, UL  
Weilersteußlingen Wohnplatz (16679)  
Weilersteußlingen, Allmendingen, UL  
Zwiefaltendorf Wohnplatz (17492)  
Zwiefaltendorf, Riedlingen, BC